



MATTHIAE NETHENI  
JUDICIUM,  
De libro Ludovici Wolzogii.  
INTRODUCTIO.

**O**mimus noster Jesus Christus in altum ascendens Ecclesiæ suæ varios relinquit & dedit Ministros, tum extraordinarios, tum ordinarios, ad coagmentationem sanctorum & ad ædificationem Ecclesiæ, quæ est mysticum ipsius corpus *Eph. 4. 10.* *11. 12.* Idque opus pulchrè procedit, quando Doctores & Antecessores Ecclesiæ ipsi Spiritum Christi habent, qui ipsos illuminat & sanctificat, ut sensum Christi teneant, ejus gloriam Ecclesiæque ædificationem, tanquam summum Ministerii sui scopum, præ oculis habeant; nec se suamque gloriam, laudes, emolumenta, favorem gratiam & applausum hominum, pacem & commoda temporalia, promotionem sui & suorum in hoc mundo, sed quæ sunt Christi & Ecclesiæ ipsius in primis ex animo quærant, cæteraque sua in secundis habeant, & si causæ Christi officiant, etiam planè negligent & contemnunt: Sieut Paulus fidelis Christi Apostolus cum alibi tum etiam Thesalonicæ fecit *I. Thess. I, primis 12. versibus.* Quò etiam pertinet, ut animo bene composito studeant servare unitatem Spiritus, per vinculum pacis *Eph. 4. 3.* caveantque sanam fidei & morum doctrinam, in Ecclesia

A

Ecclesia